



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Pastorale Missionariorvm**

**Verjuys, Jean-Baptiste**

**Antverpiæ, 1682**

7. An Catechumeni debeant plura explicitè credere quàm alii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41565**

ARTICULUS VII.

*An Catechumeni debeant plura explicitè credere , quām alii.*

**R**espondetur affirmativè , quia cùm convertantur ab erroribus fidei Catholicae contrariis , illas veritates debent explicitè credere , quæ istis erroribus opponuntur , & hoc patet etiam ex praxi Ecclesiæ: quæ non tantum requirit ab iis qui convertuntur fidei Catholicae professionem , sed etiam præcedentium errorum quibus adhæserant abjurationem & detestationem : uti expressè habetur in rituali Romano jussu Pauli V edito , ubi habetur : *Hæretici verò ad Catholicam Ecclesiam venientes , &c. Prius errorum suorum pravitatem agnoscant , & in fide Catholica diligenter instruantur.* Non possunt autem priorum errorum pravitatem agnoscere , nisi explicitè credant & admittant articulos qui istis erroribus opponuntur : quod opus non est in illis , qui semper in Catholica fide fuerunt.

Ac proinde cautè & prudenter Missionarii indagent , cui hæresi illi qui se pro conversione offerunt , adhæserint ; & circa præcipua dogmata talis hæresis instruant , ostendendo falsitatem . Ideo etiam omnino convenit ut noscant singulos singularum hæresum errores , ut sciant

D 4

quo-

ART

## 74 TRACTATUS II.

DE

quomodo agendum sit cum illo qui revertur à Lutheranismo , quomodo cum illo qui Calvinismo , & sic de Anabaptismo , &c. In & Judaismo Nihil enim magis agendum pro firmo fundamento , quam ut falsitate suorum errorum bene inculcent , antequam vera fide confirmant.

Imo pro intelligentibus , bonum est instruire Catechumenos per singula puncta professionis fidei , & abjurationis sectæ contrariae , secundum formam ab Ecclesia præscriptam quia in illa præcipua modernarum hæresum dogmata includuntur ut detestanda.

Consultum etiam est , imo quasi necessarium , ut non tantum illi qui ad fidem se volunt convertere , instruantur specialiter in his quæ Ecclesia Catholica contra contrarios erron docet ; sed etiam alii , qui licet in fide instruti sint , debent armari contra pericula perversionis , ac proinde sæpius ipsis inculcati debent ea quæ sunt contra errores hæreticos hujus temporis , videlicet veritas corporis Christi in Eucharistiâ ; necessitas confessionis , & protestas Sacerdotum ad absolvendum , invocationes Sanctorum , Purgatorium , usus & utilitas indulgentiarum , cultus imaginum & similiarum & præcipue primatus capitî Ecclesiæ summum Pontificis , quem omnes hæreses hujus temporis unanimiter impugnant . Et hæc necessitas maior est in missione , ubi Catholici sub dominio hæretici regiminis , cum hæreticis quotidie conversantur.

ARTI-